

torio Sorano situm est, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris¹ regularem uitam professis in perpetuum. Aequitatis et iustitiae ratio persuadet, ut ecclesiis propetuum suarum rerum firmitatem et uigoris inconcussi munimenta conferre auctore² Domino debeanus. Non enim conuenit Christi seruos diuino famulatui deditos peruersis prauorum hominum molestiis agitari et temerariis quorumlibet uexationibus fatigari. Proinde, dilecti in Domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et praecessorum nostrorum felicis memorie Urbani, Paschalis, Calixti, Honorii, Innocentii, Adriani, Alexandri, Clementis et Caelestini Romanorum pontificum uestigiis inherentes, predictum³ beatae Mariae et sancti Dominici monasterium quod inter Carnellum et Viride fluuios situm est in territorio Sorano, in quo diuinis manipati estis obsequiis, cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuētes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur, atque idem monasterium specialiter in perpetuum sub apostolicae sedis iure ac protectione consistat. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium inpraesentiarum iuste et canonice possidet ex dono maxime Petri de Rainerio et Dodae uxoris suae uel in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda uocabulis: locum ipsum, in quo predictum³ monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, in episcopatu Sorano ecclesiam sancti Angeli, heremum Septemfontium, ecclesiam sancti Syluestri, heremum sanctae Mariae, ecclesiam sancti Eliae, heremum sancti Leonardi, ecclesiam sancti Iacobi, ecclesiam sancti Petri de Canapinulae, ecclesiam sancti Petri de Capurlo, ecclesiam sancti Georgii, ecclesiam sancti Sebastiani, in ciuitate Sorana ecclesiam sancti Syluestri, ecclesiam sancti Nicolai, in territorio Pedisolidi ecclesiam sancti Nicolai, in territorio Arpini ecclesiam sancti Geruasii, ecclesiam sancti Leonardi, in territorio Sclauu ecclesiam sancti Vincentii, in Insula ecclesiam sanctae Luciae, ecclesiam sancti Altissimi cum

¹) quam futuris *fehlt*.

²) authore.

³) *oder* prefatum (p̄tum).